



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

In Tit. XLVI. De Observatione Jejuniorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

## IN TIT. XLVI. DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

**O**bservatio quoque jejuniorum, sive eam sanctorum memoriam atque honorem, sive alia ex causa ab Ecclesia indicta & præcepta sint, diligenter commendanda & tenenda est; *c. 2, h. t.* Nisi incidat jejunium in diem Dominicum, quod tunc transferendum est in

diem Sabbati præcedentem, *c. 1, h. t.* Si dies Nativitatis Dominicæ occurrat festâ sextâ, licitum est omnibus carnes comedere, exceptis profectus & voventibus, *c. 3, h. tit.* De jejuniorum origine & observatione doctè Covarr. *lib. 4, Variar. respl. c. 20.*

## IN TIT. XLVII. DE PURIFICATIONE POST PARTUM.

**L**ege Moisaicâ mulier post partum, si masculum peperisset, arcebatur à templo per dies 40, si femellam 80, *Levit. 12, can. 1, dist. 52* Quod abrogatum lege Evangelii, quâ mulieri

statim arque enixa est, si velit, permittitur ingredi Ecclesiam; quamvis piè fecerit, si aliquantisper abstinerit, *c. unico h. tit.*

## IN TIT. XLVIII. DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS VEL REPARANDIS.

## SUMMARI A.

1. Ecclesia nova sine auctoritate Episcopi ædificari non potest.
2. Nec in præjudicium antiquæ.
3. Qui ad reparationem Ecclesiæ teneantur.

**S**pectat & ad Clericorum officium Ecclesiarum ædificandarum vel reparandarum cura. Ubi in primis norandum, nullam Ecclesiam de novo ædificari posse nisi auctoritate Episcopi, qui, præmissâ benedictione quadam loci ad eam rem destinari, ibidem crucem figat, atrium publicè designet, & dotem sufficientem eidem assignari curet, *can. Nemo Ecclesiam 9, De consecr. dist. 1.* Deinde novam Ecclesiam ædificari non posse in præjudicium antiquæ, *can. Quicumque 44, xvi. qu. 1.* Nisi hujus ita creverit paroecia, ut

una omnibus Ecclesia non sufficiat, vel ob loci distantiam à paroecianis sine difficultate adiri non possit. Quo casu portio quædam proventuum veteris Ecclesiæ potest assignari novæ in dotem; acquiriturque tunc Ecclesiæ matrici jus patronatus in novam Ecclesiam, *c. 3, & ult. h. tit.*

Reparatio verò Ecclesiæ ruinosa, primò quidem ex fabrica, id est æratio ad Ecclesiæ instaurationem instituta, procuranda est. Si ærarium non sufficiat, tunc Rectores Ecclesiarum & quicumque ibidem beneficia obtinent, ad reparationem cogi possunt, *c. 1, & 4, h. t.* Si nihil his ultra defectum paroeciani ad conferendos in eam rem sumptus necessarios cogendi sunt. Vide Conc. Trid. Sess. 27, c. 7, De reform. D. Peck tract. De reparandis Eccles. & D. Zipæum de Jure Pont. novo h. tit. V. A.

## IN TIT. XLIX. DE IMMUNITATE ECCLESIARVM, COEMETERII, ET RERUM AD EAS PERTINENTIUM.

## SUMMARI A.

1. Immunitas quid sit.
2. Munus quid, & quomplex.

**I**mmunitas hoc loco nihil aliud est, quam vacatio munerum, sive, ut explicatius loquar, remissio à jure concessa ad non subcunda mu-

nera, *l. Munus 18, D. De verb. sig. quo modo accipitur in tit. D. De jure immunit.* Tribus autem modis munus accipitur: uno, pro dono, unde munera dari, mittive dicuntur; altero, pro onere, ut sunt tutela, cura, præstationes vestigalium, aliarumque rerum; tertio, pro officio; & hinc munera militaria, quò etiam referuntur decurionatus, magistratus municipales, & ea officia, quæ cum alijs